

te; holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulos neque de gregibus tuis hircos' et reliqua usque: 'aut sanguinem hircorum potabo?' Quibus verbis apostolus eodem spiritu repletus conveniens ait¹⁾: 'Nemo vos seducat in esca aut in potu aut in parte diei festi aut neomenia vel in sabbatis, quod est umbra futurorum' et reliqua. Quibus verbis luculentissime declarat, ut²⁾, sive diebus temporaliter sive escis carnalibus observatis, nichil aliud quam vanissimam umbram et erroris seductionem invenire potuerit. Et dominus Iesus etiam euangelio solvere sabbatum declaravit, cum paralitico praeceperat³⁾: 'Tolle grabatum tuum', quod lege prohibitum, videlicet in sabbato onera portari, manifestum est. Solvit et scenophegiam, quando dicebat⁴⁾: 'Non ascendam ad diem festum hunc', ac si dixisset: In hac huius festivitatis observancia honoris mei gloria non ascendit.

De pascha autem tamquam maximo sacramento salutis nostrae paulo latius aliquid dicturus, etiamsi non est huius temporis cuncta disserere, prius ostendere volo, quibus vel quantis rationibus pascha Domini custodiri⁵⁾ praecipitur. Mense primo decima die mensis agnus agniculus immaculatus segregari et servari usque ad III^{am} decimam et in X^a III^a a Domino per Moysen occidere praecipitur ab universo cœtu filiorum Israel ad vesperum. Quas rationes ipse Dominus verus agnus, cum ad verum pascha progreditur, aliquas permanere volens, custodivit, aliquas non servari cupiens, commutavit. Qui cum in primo mense secundum praeceptum legis immolari dignatus est et X^{am} III^{am} lunam nullo modo praevenire suae passionis tempora commisit, aliqua tamen contra figuram eum fecisse, narrat euangelium⁶⁾, quia, cum a Iuda traderetur Iudeis, non decima die mensis primi tentus est, et cum sui corporis et sanguinis sacramenta dare in sua vita discipulis suis dignatus fuerit, hoc contra figuram fecisse monstratur, cum ille agnus, qui in typo Christi in pascha occidi praecipitur, assatus igni, cum capite et pedibus et intraneis, post suam occisionem consumi a populo mandaretur. Hoc autem, ut mihi videtur, propter duas rationabiles causas Deum fecisse cognoscitur, ne, cum pascha cum discipulis manducasset, nisi postea sacrificium commutasset, dicens⁷⁾: 'Hoc est corpus meum', sic etiam postea observari debere crederetur. Haec est autem alta⁸⁾, ut opinor, causa, ut, cum corpus Domini integrum et suum sanguinem in se continens ante passionem cernerent, in corpore se refici spiritaliter crederent, et sic etiam nunc a nobis credi debeat. Et hoc etiam intueri debemus,

1) Coloss. 2, 16. 17. 2) 'in' cod. 3) Marc. 2, 11. 4) Ioann. 7, 8. 5) 'cus || tore' cod. 6) 'eūgtam' cod. 7) Matth. 26, 26. 8) 'altam' cod.